



Nr. 14

31

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM
QVINTA
^{DE}
**EXPIATIONE PEC-
CATORUM TYPICA**
SEU
**VIRTUTE SACRIFICIO-
RUM PIACULARI,**
XVIII. PROPOSITIONIBUS DEMONSTRATA
ET DECLARATA;
SUBJUNCTA ET REFUTATA ANTITHESI:
QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die Septembris hujus MDCCXIX. anni
PRAESIDE
JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

Publicæ disquisitioni submittit
RESPONDENS
CHRISTIANUS GODOFREDUS PHILIPPI,
Lignicensis Silesius, SS. Theol. Cult.

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

Dissertatio in Antiphonam
ta simili Antiphonam

GUINTA

EXPIATIONE FEC
CATURUM TYPICAM

VERITATIS SACRIFICIO
REMI PACIFICALI

KATHOLICISMOGENEAS THOMAS LATA
ET DIOCLETIA
CATHOLICAE ET PRACTICAE ANTHESIS

IN REGIA FIDEICIANA

CHRISTIANA CATHOLICAE ET DIOCLETIA

PRATICAE

JOACHIMO LVNGIO

ESTIENSIS ET CATHOLICAE ORDINI

THEATRIUS ET CATHOLICAE ORDINI

CLARENCE

CHRISTIANA GODORFENSIS PRACTICI

THEATRIUS ET CATHOLICAE ORDINI

JOAN. RUD. WOLFGANGI

URN: NBN: DE: GBV: 3:1-814975-p0004-7



SECTIO PRIOR
DE
SENTENTIA VERA ECCLE-
SIAE EVANGELICAE.

PROPOSITIO I.

Sacrificia, præcipue sanguinem ipsorum, habuisse vim expiandi, liquet 1) e fede hujus doctrinæ primaria, Levit. XVII, 10, II.

Locus ipse.

V. 10. *Quicunque e familia Israëlis, aut e peregrina gente) que habitat inter eos, vescetur ullo sanguine, utique illi ipsi opponam iratam faciem meam, qui comederit ultum sanguinem; & excindam eum e medio populi mei.*

V. 11. *Nam anima cujusque carnis in sanguine est: ego vero destinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris: nam sanguis is est, qui pro anima expiationem facit.*

Propositiones, quæ in hoc loco continentur.

1. Anima, seu vita, uniuscujusque pecoris est in ejus sanguine, re maxime vitali, tanquam sede & vehiculo

SECTIO PRIOR DE SENTENTIA
4 culo suo; quandoquidem profuso sanguine simul vita profunditur & in brutis extinguitur.

2. Sanguis destinatus est altari, seu usibus sacris ac typicis. Conf. Lev. I, 5, II, 15. III, 2, 8. IV, 5, 6, 7, 13, 25, 30, 34, V, 9. ubi occurunt præcepta de pecorum sanguine, partim spargendo super altare, partim affundendo ad basin altaris.

3. Sanguis habet VIM EXPIANDI animas offerentium, seu ipsos offerentes, a quibus & quorum loco victima tota oblata est, anima brutorum animæ humanæ, & hominis totius, locum sustinente.

4. Sanguis omnis ob usum hunc sacrum, qui mysterium habet sacratissimum de sanguine Messiae vicario & piaculari, esto sacro sanctus & religiosissimus, reverenter habendus, ideoque, in signum religiosi respectus, seu mysterii cum cibo vulgariter non assumendum est sub poena excisionis.

5. Quæ cum ita sint, optime ad hunc locum B. WOLF. FRANZIUS Schola sacrific. Disput. XXI. §. 78. p. 748. Propter peccata digni essent homines morte, sed ex gratia pro hominum vita, seu anima, Deus accipit animam, vitam & sanguinem & satisfactionem pecorum a se deputatorum, ideoque istorum sanguinem severissime interdit comedì, ut constet, sanguini illud magnum sacratissimumque expiandi peccata hominum mysterium divinitus attributum. Qmnen vero sanguinis religionem, omnemque reverentiam in eo esse, quod typice EXPIET animas offerentium, totius loci hujus nervus est.

PROPOSITIO II.

Vis sacrificiorum ^{i&asim}, seu piacularis 2) probatur e verbo expiandi, quod de

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.
de ipsis expresse & identidem usur-
patur.

ILLUSTRATIO.

1. Generatim huc pertinet locus, e Lev. XVII, 10,
ii. jam tum præcedenti propositione adductus; utpo-
te qui docet, omnem sanguinem sacrificalem expian-
di vim habuisse. Speciatim hic conferri possunt lo-
ca sequentia, uti de victima omni generatim, sic in-
primis de sparsione & affusione sanguinis piaculari.
Lev. I, 4. VI, 30. Num. XXVIII, 22, 30. Conf. Exod.
XXIX, 33, 36. XXX, 10. n. t. λ. ubi occurunt vocabula
כְּפָר, Gr. **ιλάσκομαι**, **ιλασμός**, **ἐξιλασμός**,
καταλάσσω, **καταλλαγή**. Verbum **ἀγιάζω** de usū expi-
ationis sacrificiali apud LXX. vide Exod. XXIX, 33, 36,
& de eodem etiam verbum **καθαρίζειν**. Exod. XXIX, 10.
&c. Utrumque in ipsa hac notione in novo testamen-
to probe notandum esse, suo loco videbimus.

2. Cum verbum **כְּפָר** in textu Hebræo de expia-
tione adhibetur frequentissime, explicanda hic est ejus
significatio. Verbum hoc proprie, seu in sensu phy-
sico, quo Gen. VI, 14. de arca Noachi occurrit, in
Kal notat *picare* h. e. *pice, camento aut bitumine*, seu *ma-
teria glutinosa* [qua **כְּפָר** dicitur] *oblinere & obducere*, atque
ita *obducendo occultare & penitus oblitterare atque expunge-
re*, significacione hac e citato Geneceos loco deducta
& aliquantum extensa. In Piel hæc *obductionis &
obliterationis notio*, ad sensum *moralement & forensem*
translata, notat *reum ita placare*, seu *expiare & propiti-
um reddere*, ut, *quod in eo displicer*, h. e. *reatus, per satis-
factionem* [**כְּפָר**, *lytron*] *reo imputatam abscondatur*; seu

*reatum ita tollere, non ut non adsit, sed ut non imputetur
& a facie Dei absconditus aeternum lateat, tanquam penitus
obliviteratus, expunctus & ὄφαντος.*

3. Atque ita in notione Grammatica verbum כְּפָר est synonymum verbi כַּסֵּה textit, Psalm. XXXI, 1, sed illud hoc longe est significantius, partim pro significatu suo proprio, quo notio obdictionis cum notione ardentissimæ applicationis & intimæ coalitionis & conglutinationis conjuncta est; partim pro usu forensi, qui per verbum λυτέω, ἐξιλάσκουσαι, & alia hujus generis declaratur. Et cum reatus non solum sit in culpa, sed etiam in debito nostro (quemadmodum Dissert. III. demonstratum est, vox כְּפָר) egregie quadrat ad delitorum obliteracionem & expunctionem. De ipsis vero personis in hac notione adhibita, notat, ipsarum debita ita esse exsoluta, ut & ipsæ debitorum, der Schuldnern/ numero plane sint exemptæ. Vide Jes. XLIII, 10. Ego, ego deleo peccata tua; & confer Act. III, 19. Col. II, 14. Apoc. III, 5,

PROPOSITIO III.

Efficacia sacrificiorum *ילאשׂתִּים* 3) probatur ex illis Scripturæ Sacræ locis, ubi verbum expiandi in sacrificiorum oblatione sacerdotibus, tanquam expiatioonis ministris, expresse tribuitur.

ILLUSTRATIO.

Lev. IV, 20. Dicitur de illis, qui victimam pro peccato obtulerant: וְכָבֵר אֱלֹהֶיךָ הַקְרֵב & expiationem faciet super illos, seu pro illis, sacerdos, וְנִסְלֵחַ לְהָמָר & condon-

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

condonabitur, seu remittetur, illis. Luth. der Priester soll sie versöhnen / so wirds ihnen vergeben. Ibid. v. 26. Ita expiabit eum sacerdos a peccato ipsius & remittetur ei. v. 31. Sic expiabit eum sacerdos & remittetur ei.

Item v. 35. Ita expiabit eam sacerdos a peccato ipsius, quo peccavit & remittetur ei.

Porro c. V, 6. Ita expiabit eum sacerdos a peccato suo, quo peccavit & remittetur ei. Vide etiam v. 13, 16, 18. c. VI, 7. VII, 7. IX, 7. X, 17. x. t. λ. Loca plura adducere supersedeo. Vide speciatim c. XIV. de expiatione leproorum v. 18, 19, 20, 21, 29, 31. & c. XVI. de magno anniversariae expiationis festo, ubi expiatio primaria & fere unica summi sacerdotis actio erat v. 6, 10, 11, 16, 17, 18, 20, 33, 34.

Observationes aliae.

1. Expiatio, quæ victimis tribuitur, etiam tributa fuit sacerdotibus, ut typus conveniret antitypo, seu Christo; utpote qui & victimæ est, & sacerdos. Deus autem dicitur reconciliari, in quantum e sacrificiis accipit ריח נורא, susceptisque victimis peccata remittit offerentibus, pro quibus ista oblatæ fuerant.

2. Offerentes nunquam semet ipsos dicuntur expiare, quia id res ipsa non permittit, nec fert antitypus.

PROPOSITIO IV.

Efficacia rei sacrificialis ^{Isaiah} 4) inde probatur, quod sacerdotes dicebantur portare, seu portando & expiando auferre, iniquitatem Israelitarum.

ILLU-



SECTIO PRIOR DE SENTENTIA
ILLUSTRATIO.

1. Primum hic notanda est proprietas locutionis, *suam ipsius iniquitatem portare*. Hæc enim est, esse in gravi reatu & propter hunc non ablatum pœna esse obnoxium. Quam hujus phraseos emphasin in primis illa Scripturæ loca faciunt conspicuam, in quibus locutioni isti, *portare iniquitatem suam, notionem pœnae expresse additam videoas*, ut: Exod. XXVIII, 43. *fac eis femoralia - & erunt super Aarone & super ejus filiis, cum ingredientur tabernaculum conventus, aut cum accident ad altare ad ministrandum in sancto, NE PORTENT INIQUITATEM ET MORIANTUR*, seu, ut Tremellius vertit, *ne ferentes iniquitatis pœnam moriantur*. Conf. Lev. XIX, 8. XX, 17, 19, 20. XXII, 19. XXIV, 15, 16. Num. V, 31. IX, 13. XIV, 33, 34. XVIII, 22. XXX, 16. Ezech. XVIII, 19, 20.
x t. λ.

2. Ex hac hujus locutionis proprietate facile constat, quo sensu sacerdotes dicti fuerint *portare iniquitatem populi*, scilicet respectu *imputationis & ministerialis expiationis*. Quam expiationis notionem expresse additam videoas in loco, qui præcipue hic est attendendus; Lev. X, 17. *Quare non comedistis sacrificium pro peccato in loco sancto? nam res sanctissima istud est, & illud dedit (Jehova) vobis, ad PORTANDUM INIQUITATEM hujus coetus, EXPIATIONEM FACIENDO PRO ILLIS coram Jehova*. LUTHER. *Dass ihr die Misserthat der Gemeine tragen sollt/ dass ihr sie verſöhnet vor dem Herrn.* Ad quæ verba JUNIUS recte hæc ponit: *Ut a cœtu eam [iniqvitatem] in vos transferatis & recipiatis expiandam.* Conf. LXX. interpretes, ubi verbum Hebreum ηνσι, ad portandum, recte vertitur αφέλητε, *ut auferatis peccatum &c.*

3. Sic

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

9

3. Sic Exod. XXVIII, 38. Erit cedaris super fronte Aaronis אַהֲרֹן, daß er trage LXX. καὶ ἔξαρτο, ut auferat, daß er hinweg trage/iniquitatem rerum sacrarum: secundum JUNIUM iterum optime: non in persona sua, sed in summo pontifice Christo, quem typice referebat. Notantur enim hic duo beneficia solius Christi, remissio peccatorum & reconciliatio eternaque benevolentia, que versu eodem subjicitur וְעַבְדֵנִי לְתָזִין in benevolentiam ipsis coram Iehova. Ceterum hic confer Propositionem XII. de κειμενοθεσίᾳ.

PROPOSITIO V.

Vis sacrificiorum ἱλαστήρη 5) manifesta est e denominatione duarum specierum expressa: quarum una erat & dicebatur *piacularis*, חַפְאָה, victima pro peccato, ein Sünd-Opffer / altera מַעַן pro reatu, ein Schuld-Opffer. Lev. IV. & V.

ILLUSTRATIO.

Utrumque sacrificiorum genus denominationem habebat a re expianda, scilicet a *peccato* & *reatu*. Utriusque vero nervum primarium fuisse in *expiatione*, ex effusione & adspersione sanguinis, expiacioni propria Lev. XVII, 10, II. nec non e verbo expiandi, & e factæ expiationis signo, στυγή οὐωδίας, manifestum est: utpote quæ singula, Lev. IV. & V. de his sacrificiis dicuntur.

B

PRO.

SECTIO PRIOR DE SENTENTIA
PROPOSITIO VI

Virtus sacrificiorum *ιλασική 6)* ex eo
liquet, quod illa ipsa non solum ob-
lationibus pro peccato & pro reatu
fuerit attributa, sed reliquis etiam
sacrificiorum generibus omnibus ac
singulis fuerit communis.

ILLUSTRATIO.

1. Primum hoc certum est de omnibus sacrificiis
ex *animatis*. Hæc enim effuso & affuso *sangvine* offe-
reabantur; utpote qui destinatus erat altari ad expiati-
onem faciendam Lev. XVII, 10, ii. Idem comprobrant
priora Levitici capita, plurimaque alia loca, ubi in
sermone de sacrificiis istis omnis generis expressa oc-
currunt mentio vel *expiationis*, vel *odoris bonæ fragantiae*,
vel *condonatae culpe*.

2. Nec obstat, quædam sacrificia fuisse *eucharistica*,
oblata pro acceptis beneficiis, seu pro incolumitate,
pace & salute impetrata, aut adhuc impetranda. Cum
enim offerentes peccati originalis, quod variis se se a-
ctibus prodit, labe nunquam non laborarent, ejus re-
atus conscientia ducti non poterant non etiam in his
sacrificiis simul peccatorum remissionem expetere.
Nec Deus voluit ullam gratiarum actionem, aut invoca-
tionem, per sacrificia factam, ratam habere, nisi
illa fieret animo, de peccatorum remissione demisse
simil sollicito. Et quis dubitaret *eucharistica* illa expi-
andi scopum ac vim habuisse, cum *sangvis* illorum
itidem

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

¶

itidem destinatus fuerit altari ad expiationem, & cum illa ipsa quoque adjunctum habuerint effectum *bonæ fragrantie* Lev. III.

3. Ne *inanimata* quidem *sacrificia*, qualia erant *dapalia*, seu *cibaria*, cum suis *odoramentis* & *libaminibus* caruerunt *virtute expiandi*. De munere oblationum voluntario, eoque cibario, vide Lev. II. ubi iisdem *חַדְרָה וְתִבְרָה*, *וְσֹעֲדָה* tribuitur. Et *libamina* quoque fuisse *ἰλασινὴ*, vel inde colligas, quod omne fertum, seu sacrificium cibarium (excepto illo leprosi Lev. XIV, 1.) adjunctum habuerit suum libamen, tanquam partem sui. Quod igitur de toto dicitur fertu*s*, scilicet illud Deo fuisse *ἱστορίην ιερωδίας*, etiam valet de parte, seu adjuncto ejus. Conf. Lev. XXIII, 10, II, 12, 13, 18. Num. XV, 4, 5, 6. c. XXVIII, 8. XXIX, 6, 37.

PROPOSITIO VII.

Virtus sacrificiorum hilastica, seu piacularis 7) cognoscitur ex eorum effectu, *ἱστορίην ιερωδίας*, jam tum urgente occasione aliquoties carptim commemorato.

ILLUSTRATIO.

1. Hic sacrificiorum effectus, qui ex parte Dei erat in *חַדְרָה*, secundum LXX. interpretes, in *ἱστορίην ιερωδίας*, in solo Levitico commemoratur decies sexies c. I, 9, 13, 17. II, 2, 9, 12. III, 5, 16. IV, 31. VI, 14. VIII, 21, 28. XVII, 6. XXIII, 13, 18. XXVI, 31. Eundem etiam alibi indicatum vide, ut: Gen. VIII, 21. Exod. XXIX, 18, 25, 41. Num.

B 2

XV,

12 SECTIO PRIOR DE SENTENTIA

XV, 3, 7, 10, 13, 14. XVIII, 17. XXVIII, 2, 6, 8, 13, 24, 27.
 XXIX, 2, 6, 8, 13, 36. Esra VI, 10. Conf. Ezech. VI, 13.
 XVI, 19. XX, 28, 41. Item 1 Sam. XXVI, 19.
 3 Lib. Esra VI, 33. Sir. XXXVIII, 11. XLV, 20. L, 17. Eph.
 V, 2. Contrarium vide Amos V, 21. non adorabor odorem
diebus festis vestris.

2. Carnes sacrificiales incensæ combustæque non poterant edere gratum odorem, sed potius nidorem ingratum. Deus vero nihilominus testatus est identidem, odorem oblatarum victimarum sibi fragrantiam esse svavissimam. Necesse itaque est, habuisse sacrificia virtutem aliquam mysticam, quæ isto bonæ fragrantia odore notata fuerit. Et hanc fuisse efficaciam typice expiandi, res ipsa docet, in universo hujus demonstrationis serie considerata.

3. *Odor quietis πάρνησις*, ab effectu suo sic dictus, erat talis odor, qui *justitiam Dei*, seu *ipsum Deum*, ita placabat, ut placatus acquiresceret, nec *justam pœnam peccato debitam inferret*, sed remissa culpa peccatori esset propitius. Quem hujus locutionis sacrificialis sensum genuinum esse, evincunt sequentia momenta:

- a] *Res ipsa*, in primis secundum proprietatem justitiae vindicis & reatus, qui in peccato est, considerata.
- b] *r̄m̄t̄r̄n̄s* hujus expositionis, a conditione & illatione omni aliena.
- c] *Scopus & effectus* actuum sacrificialium, positus in remissione peccatorum benevolæ, quæ in mentione istorum actuum identidem commemoratur.
- d] *Synonymia* exegistica. *Quod enim in oblatione holocaustorum Lev. I, 4. dicitur de benevolæ acceptatione & expiatione*, id v. 9. de iisdem holocaustis

VERÆ ECCLESIAEVANGELICÆ. 13

caustis per odorem bone fragrantiae declaratur.
Conf. c. IV, 31. ubi in sacrificiis pro peccato utrumque ιεροτυπός conjungitur.

- e] Series adiuvum sacrificalium, quæ erat
- a) Ad peccata expienda, agnito reatu, destinare pecora, eaque sui loco sistere.
 - b) In sic exhibitas victimas per χειροθεσίαν peccata sua, seu eorum reatum, transferre.
 - c) Peccatorum reatu oneratas, & ob illum morti piaculari devotas, victimas sui loco ad matationem tradere.
 - d) Traditas mactare, & mactatarum sanguinem religiose exceptum, earumque carnes, ad altare offerre, & iis expiare offerentem.
 - e) Quibus rite peractis Deus in ratæ expiationis documentum e victimis, quæ mactatae combusaeque non nisi gravem & ingratum odorem spirabant, odorem bonæ fragrantiae percepisse dicebatur.

PROPOSITIO VIII.

Specialissime & omnium maxime
ANNIVERSARIVS EXPIATIONIS DIES cum
sacris suis expiationem sacrificalem
comprobat.

ILLUSTRATIO.

Ipsa hujus diei denominatio expiationem sonat.
Dicunt enim ייְהוָה כָּפֹרְתִּים, ημέρα ιερατεύων, dies expiationis, der Versöhnungstag / Lev. XXIII, 27, 28. Mensuram vero, seu vim, hujus nominis implent ejus sacra,

B 3

Lev.

14 SECTIO PRIOR DE SENTENTIA

Lev. XVI. descripta, speciatim in tribus istis victimis solennioribus, uno juveneo piaculari, & duobus hircis; uno piaculari & altero ~~ἀποποιασθαι~~, seu emissario illo A-safel. Ubi præcipue notandum est, quod utriusque victimæ piacularis maestata sangvis ad expiationem sancto sanctorum fuerit illatus, & quod in descriptione hujus dici duodecies fiat expiationis mentio, nimirum v. 6, 10, 11, 16, 17, (bis) 18, 20, 30, 32, 33, 34. Vide, quæ de hoc festo & ejus applicatione evangelica tradi-di in *Mysterio Christi ac Christianismi* P. III. c. VII. p. 367-385.

PROPOSITIO IX.

EXPIATIO fuit nervus, nucleus, sco-pusque & effectus totius rei sacrifi-calnis primarius, ideoque ejusdem quasi anima, centrum ac peripheria, sed non sine ordine gratiæ renovan-tis, ad interiorem & exteriorem vi-tæ sanctimoniam donatæ.

ILLUSTRATIO.

Veritas hujus theses per se resultat ex integra harum propositionum serie. Et eo illa plus lucis ac roboris nunc habet, quo sic deducta nunc potenti-us etiam imperitorum animis se insinuat. Horum enim vix centesimus quisque hanc hujus veritatis lucem, & hæc ejus prædicta, in re sacrificali quæsiverit, ne-dum invenerit sine isagoge aliqua. De ordine gra-tiæ renovantis infra.

PROPO-

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.
PROPOSITIO X.

15

Expiatio sacrificialis revera nihil erat aliud, quam *satisfactio* quædam typica, ita ut *satisfactio* recte pro expiatiōnis synonymo habeatur.

ILLUSTRATIO.

1. Satisfactio in sensu Theologico est actus, quo peccator, tanquam reus & debitor, Deo, justo judici, seu justitiae ejus vindici, peccatis læse, facit, seu præstat, quod ipsi satis est, seu ipsi adeo sufficit, ut in persona satisfaciēte, ipsi conciliatus, lubens acquiescat, eamque multis gratiæ donis beet.

2. Jam vero expiatio sacrificialis erat ejusmodi satisfactio. Etenim hic erat: 1) *Deus* justus judex, peccatis læsus: 2) *homo peccator*, qui Deum delictis suis læserat, suaque & delicta & debita confitebatur, eadem per manuum impositionem in victimam succedaneam transferens. 3.) *Actus satisfactionis* in traditione sui ad mortem piacularē, sed vicaria, per substitutionem victimæ, ad representationem Messiae, ab ipso Deo præscripta. 4.) *Effectus* in Dei reconciliati acquiescentia & per sacratissimum illud ריח נירוח & per peccatorum remissionem, quæ formula (de qua Propos. sequens.) commendatur, declaratam.

PROPOSITIO XI.

Virtuti sacrificiorum ἡλασμῷ egregie
respon-

respondeat, eamque comprobat & illustrat eorum proprietas & efficacia, in remissione peccatorum posita, tanquam expiationis fructus.

ILLUSTRATIO.

Peccatorum remissionem, cum expiatione, tanquam effectum ejus proximum, fuisse coniunctum, indicat: 1) praevious actus *χειροθεσίας*, cum peccatorum, victimæ impositorum, confessione conjuncta, 2) Scopus oblationis. Quemadmodum enim agnitus peccati reatus peccatorem adigebat ad actum sacrificalem, & speciatim ad peccati confessionem & impositionem in caput victimæ, ita ille ipse non poterat non peccatorum remissionem pro scopo habere. 3) Ipse oblationis effectus, seu peccatorum remissio in Levitica & alias expressis verbis, solennique formula נסחלה ונסחה לה בזבז, *καὶ ἀφέθεται αὐτοῖς, ἀντὼ, ἡ ἀμαρτία, sic condonabitur illis, illi, so wird ihm / so wirds ihm vergeben / prædicata;* vide c. IV, 20, 26, 31, 35. V, 10, 13, 16, 18.

Quod si sacrificiorum scopus primarius fuisset peccati inharentis expurgatio, qualem renovationis studium efficit, effectus eorum primarius non positus fuisset in *peccatorum remissione*. Hæc vero cum ubique celebrata, saltem intenta fuerit, ex effectu hoc rete agnoscamus causam, peccatorum *expiationem*. Quam autem luculenter & suaviter sub hac ipsa figura utrumque Christi beneficium evangelicum, *satisfactio & justificatio*, repræsentatur fuerit, quis non observat & sancte admiratur?

PROPO-

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.
PROPOSITIO XII

17

Utramque sacrificiorum proprietatem, piacularem, seu *satisfacentem*, & *justificantem*, præclare illustrat ritus ^{xepo-}
^{serias} & confessionis peccatorum, jam tum data occasione aliquoties, sed strictim tantum, commemoratus. Conf. Propos. IV. de phrasí: portare iniquitatem suam.

ILLUSTRATIO.

1. Lev. I, 3, 4. Si holocaustum fuerit oblatio ejus, e bobus masculum integrum offerto illum, ad osium tabernaculi conventus offerro illum sponte sua coram Jehovab. Et NITETUR MANU SUA SUPER CAPUT HOLOCAUSTI SUI, ut sit accepsum pro ipso ad expiandum ipsum. Hic ritus semper observatus fuit in omni oblatione, et si non semper expressa ejus mentio fiat. Conf. c. IV, 15, 24, 29, 33, ubi identidem additur epiphonema illud significantissimum: Ita expiabit eum sacerdos a peccato ejus, quo peccavit, & remittetur ei. Vide etiam v. 16, 26, 31, 35. Conf. Exod. XXIX, 10.

2. Quo autem respectu modoque facta sit hæc manuum impositio, expresse indicatum videoas Lev. XVI. 21. Nitens Aaron ambabus manibus suis super caput illius birci, qui vivus erit, CONFITEBITUR SUPER IPSUM OMNES INIQVITATES filiorum Israël & omnes defectiones eorum ex quibusque peccatis eorum: & quum IMPO-

C

SUE

18 SECTIO PRIOR DE SENTENTIA

SUERITILLA CAPITI ejus hirci, emittet eum per hominem commodum in desertum. Nam portabit hircus ille super se omnes iniurias eorum in regionem inhabitabilem.

3. Atque ita impositio manuum conjuncta fuit cum peccatorum, aut certi peccati confessione, ita ut *χειροθεσία* fuerit symbolum impositorum & in victimam translatorum peccatorum. Et hunc *χειροθεσίας* respectum fuisse universalem & perpetuum, indicat cum res ipsa, tum scopus & eventus, qui erat remissio peccatorum quæsita & obtenta, nec non Judæorum consensus.

4. Quæ cum ita sint, manifestum est, *χειροθεσία* non solum traditionem & emancipationem, sed etiam, & quidem præcipue, peccatorum translationem indicatam fuisse. Ipsa vero peccatorum auferendorum translationis & suscepicio piacularis, in victimis typice facta, quid adumbravit aliud, quam ipsam expiationem vicariam? Quare dubitari nequit, *χειροθεσία* ritu utramque sacrificiorum proprietatem & virtutem, *piaculari*, seu satisfacientem, & *justificantem*, repræsentatam fuisse.

5. Ad declarandam *χειροθεσία* emphasis, notandum est, quod manuum impositio in reatu signum fuerit ipsius reatus impositi & adjudicati, & indicaverit, reum poena mortis esse dignum. Vide Lev. XXIV,

14. *Educio blasphemum illum extra castra, ut nitantur, quinque audiverunt, manibus suis super caput ejus: deinde lapidabunt eum totus cætus.* Conf. Deut. XVII, 5 seqq. Quem morem apud Judæos perpetuum fuisse, etiam historia Sufannæ comprobat. v. 34. Probabile est, testes sub ipsa *χειροθεσίᾳ* hæc aut similia pronuntiasse verba,

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

19

ba , alias de reatus declaratione obvia: *Sanguis tuus*,
seu culpa sanguinis tui effundendi, *super te*, seu super
caput tuum, du bist selbst schuld an deinem Tode. 2 Sam.
I. 16. n. t. λ.

6. Et cum Lev. XVI, 21. de *impositione peccatorum*
in fonte Hebraeo adhibetur phrasis: & dedit ea *super*
caput birci, probe observandum est, phrasin hanc:
peccata (aut viam peccati, seu facinora, vel sanguinem)
Super aliquem dare, seu alicui imponere, etiam alias usur-
pari de *reatus in pœnam adjudicatione*. Vide 2 Sam. III,
29. 1 Reg. II, 32, 33, 37. 44. cap. VIII, 32. Psalm. VII, 17. 2
Chron. VI, 23. Jer. XXVI, 15. Ezech. VII, 3, 4. IX, 10. XI,
21. XVI, 43. XXIII, 4. in primis hoc pertinet locus c.
XXIII, 45, 47, 49. *Viri iusti judicabant eis* [Oholam & Oho-
libam] secundum *judicium adulterarum* & *judicium fun-
dentiū sanguinem* - ut lapident eis: atque ita [adhibita
~~χειροθεσίᾳ~~] dabunt facinus vestrum *super vos* & *peccata i-
dolorum vestrorum portabitis* [idolatriæ pœnam luentes.]
Conf. Jon. I, 14. Jud. IX, 56, 57. 1 Sam. XXV, 39.

7. Ceterum in ~~χειροθεσίᾳ~~ illa sacrificiali peculiarem
habet emphasis verbum Τέλος, quod de manuum im-
positione adhibetur. Eo enim indicatur, impositionem
illam fieri debuisse & factam esse cum nisu aliquo
totius corporis, ut offerens se inclinaret, & victimæ
aliquantum, seu quoad illa ferre poterat, incumberet,
& quasi in eam recumberet, & se ea suffulciret, capite
ejus depresso. Qui gestus accommodatus erat repræ-
sentationi cum gravitatis, quæ in peccati reatu est, &
quam victimæ vicaria sentit, tum nisu fiducialis, quo
offerent in eam inclinandum, eaque recumbendum
erat, sfavissimo sane in Christum & ejus applicationem
typo.

C 2

PRO-

Nec parum illustratur ac comprobatur totum expiationis typicæ negotium ex eo doctrinæ sacrificialis momento, quod viætimæ officium locumque habuerint vicarium, seu loco hominum (quorum omnium personam Messias sustinuit) fuerint oblatæ,

ILLUSTRATIO.

1. Veritas hujus propositionis per se jam resultat ex integra demonstrationis serie haec tenus data. Operæ tamen pretium est, ut ea paucis adhuc seorsum consideretur, in apricum producta.

2. Viætima in traditione ad sacrificium recipiebat offerentis peccata, per impositionem manuum, atque ita per imputationem, in ipsam translata: iisque susceptis, tanquam inde polluta & mortis rea, & tanquam ~~neglecta~~ ^{negligenda} sapua, macabatur, ita ut sanguis ejus effusus altarique affusus & oblatus offerentem expiareret; qvemadmodum ex antecedenti tractatione liquet.

3. Quid vero, viætiam pro se ita offerre, erat aliud, quam semet ipsam mortis agnoscere reum, & in locum sui viætiam substituere? Et quid representavit viætima, nisi personam offerentis? quid præstitit, nisi offerentis mortem & expiationem vicariam? Hanc vero Deum homini imputasse non minus,

ac

ac si semet ipsum moriendo expiasset, atque ita hominis loco habuisse, quis non animadvertit? Hoc ipsum præcipue indicatur loco illustri Lev. XVII, ii, ubi inter alia dicitur: *quia sanguis hic PRO ANIMA, seu LOCO ANIMÆ* (nimirum offerentis, seu pro ipso offerente) *expiationem facit.* LXX. avt̄ Φυρός τέλαστραι Luth. das Blut ist die Verſöhnung fürs Leben. Eadem substitutionis ratio manifesta est in sanctione de primogenitis. Hi enim, postquam Deo erant consecrati, redimendi erant per substitutionem victimarum.

PROPOSITIO XIV.

Proprietatem sacrificiorum vicariam & piacularem tandem, præter consensum Judæorum, etiam universalis omnium gentium consensus ac ritus comprobat.

ILLUSTRATIO.

Vide, quæ de hac re Dissertatione II. de justitia Dei vindice Prop. X. tradita sunt: ubi simul ostensum est, consensum ac morem hunc antiquissimum ac catholicum, et si per abusum longe corruptissimum sit ac a scopo genuino alienissimus, monumentum esse traditionis Noachicæ, quæ post dispersionem gentium in omnes orbis terrarum populos ipsorumque sacra dimanavit.

PROPOSITIO XV.

Vis & efficacia sacrificiorum

C 3 fuit

22 SECTIO PRIOR DE SENTENTIA

fuit tantum typica, Christi expiationem, seu satisfactionem, una cum beneficio justificationis adumbrans.

DEMONSTRATIO.

1. Ex ipsa sacrificiorum & sacrificiali expiationis natura. Hæc enim, per se & sine antitypo considerata, ne rationalis quidem est, seu ne rationalem quidem Deoque convenientem cultum ei præstat, tantum abest, ut justam satisfactionis proportionem habeat ad peccatorum gravitatem, & ad justitiam Dei vindicis veritatem.

2. Ex indole totius cultus Levitici. Quæ cum esset typica, seu ita comparata, ut partim salutis nostræ fundamentum, in redemtione positum; partim ejusdem applicationem, quæ in utroque ejus beneficio, justificatione & renovatione est, adumbraret, speciatim vis sacrificiorum non potest non ad satisfactionem & justificationem ex ipsa Spiritus sancti intentione applicari.

3. E promissione Messiae, quæ Patriarchis data & universæ genti Judaicæ, (immo reliquis etiam omnibus) per prophetas partim viva, partim etiam scripta voce θεοντεσως repetita & magis magisque declarata fuit: quemadmodum ne tironibus quidem Theologia propheticæ ignotum est, ideoque probatio nunc non indiget. Promissionum vero istarum nucleus in redemtione, seu satisfactionis & expiationis, opere fuisse positum, nemo ignorat, nisi qui veræ κεισογνωσίας plane est expers.

4. Speciatim e variis de morte Christi piaculari & antitypica. Gen. III. Jes. LIII. Dan. IX.

5. E

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

23

5. E vaticiniorum complemento in ipsa passione & morte Christi *ἱλασμῷ*, testibus ipso Christo & ejus Apostolis θεοπνέουσι & ἀξιοπίστοις, præcipue Paulo in epistola ad Hebræos. Loca ipsa videbimus Dissertatione VII. & VIII. Conferatur liber de *Mysterio Christi & Christianismi typico*. Hic sufficit Propos. XVI. sequens.

6. E sacrificiorum abrogatione, uti prædicta Dan. IX, 24. seqq. ita per & post mortem Christi antitypicam impleta, horrendo Dei judicio, in promerito templi Hierosolymitani excidio, surgenti regno Messiae subserviente.

PROPOSITIO XVI.

In sermone de officio & morte Christi particulæ PRO & PROPTER habent significationem antitypicam, quæ, e re sacrificali illustrata, in notione rei vicariæ de substitutione, nostri loco facta, explicanda est.

ILLUSTRATIO.

1. Fundamentum typicum exhibent theses hactenus deductæ, præcipue XIII. Applicationem vero antitypicam habemus Luc. XXII, 19, 20. Jo. X, 15. XI, 50, 51, 52. XVII, 19. XVIII, 14. Rom. V, 8. VIII, 32. XIV, 15. 1 Cor. V, 7. XI, 24. XV, 3. 2 Cor. V, 25, 21. Gal. I, 4. II, 20. III, 13. Eph. V, 2, 25. 1 Thess. V, 10. 1 Tim. II, 6. Tit. I, 14. Hebr. II, 9. X, 12. 1 Petr. II, 21. III, 18. IV, 1. 1 Jo. III, 16. In quibus exemplis est particula *ὑπὲρ*.

2. Eo-

24 SECTIO PRIOR DE SENTENTIA

2. Eodem sensu adhibetur particula περὶ Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Conf. Hebr. X, 18, 26. XIII, 11. 1 Pet. III, 18. 1 Jo. II, 2. IV, 10.

3 Particula ἀντὶ eodem substitutionis sensu occurrit in duobus locis Matth. XX, 28. Marc. X, 45.

4. Particula istae notionis vicariæ, in sermone de traditione & passione Christi, de peccatis usurpatæ notant objectum reale officii hilaftici, de peccatoribus vero objectum personale. Mortuus enim est Christus pro peccatoribus, ipsorum loco, ita ut pro peccatis ipsorum satisfaceret, istorum reatum & pœnam auferendo.

5. ἡπὲρ notionem rei vicariæ, seu substitutionis, habere, in primis perspicitur ex illustri oraculo Pauli 2. Cor. V, 15. Hoc judicamus, quod si unus pro omnibus mortuus est, igitur omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut καὶ τοῦ λόγου.

6. Notio hæc primaria rei vicariæ, seu substitutionis, ex se gignit illam de causa finali, salutem nostram nostraque commoda respiciente, quæ supposita illa primaria in nonnullis locis præcipue attenditur, ut: Jo. VI, 51. Hebr. VI, 20. Quo sensu etiam de hominibus & eorum ministerio pro alijs usurpat, sed istis convenienter. Rom. XVI, 4. 2 Cor. XII, 15. Col. I, 24. 1 Joh. III, 16. καὶ τοῦ λόγου.

PROPOSITIO XVII.

Repræsentatio renovationis in sacrificiis scopo & actui eorum inlasim omnino fuit subordinata.

DEMONSTRATIO.

A. Ex inde cultus Levitici typica generatim. Istum enim

VERÆ ECCLESIAE EVANGELICÆ.

25

nim cultum utrumque redēptionis fructum, qui in *jūstificatione & renovatione* positus est, conjunctim commendasse & ursus in praxi sua, ex instituto demonstratum est in *Bezaleel*, seu libro de *Mysterio Christi & Christianissimi typico*.

2. Speciatim ex officio & proprietatibus sacerdotum *Leviticorum*, quorum dignitatem antitypus, seu gratia evangelica, in singulos veri nominis Christianos transtulit, praxi Christianissimi, quæ in renovatione vigere debet, inde non parum illustrata & declarata. De qua itidem modo allegatus liber.

3. E locis biblicis, ubi sub figura rei sacrificialis renovationis studium urgetur, uti in veteri, sic etiam in novo testamento. Vide Psalm. L, 15. LI, 19. CVII, 32. CXLI, 2. Hof. IV, 3. Rom. XII, 1. 1 Petr. II, 5. Hebr. XIII, 15. Conf. Hebr. IX, 14. X, 22. seqq.

4. E locis illis, ubi Deus cultum sacrificalem sine fide & pietate factum improbavit. Psalm. LI, 18. Jes. I, 11. seqq. x. t. A.

PROPOSITIO XVIII.

Doctrina de Expiatione & Satisfactione Christi typica, in sacrificiis repræsentata, adversus Petri Poireti & Socinianorum strophas & corruptelas immota perstat.

Veritatem hujus propositionis demonstratam viideas partim Sectione II. sequenti, partim integra Dissertatione VI.

D

SECTIO

SECTIO II.

DE

**ERRORE PETRI POIRETI
IN DOCTRINA DE SACRIFICIIS,
SATISFACTIONI CHRISTI PRAECI-
PUE OPPOSITO.**

Locus Poireti Oeconom. Div. L. III. c. XVI. §.

*XV. & XVI. p. 809. seqq. in quinque mem-
bra divisus.*

Membrum primum.

*Res figuratae universim ad quatuor summa capita re-
ferri possunt, quæ ipsam effientiam decretorum Dei continent,
& ad has duas Veritates reducuntur, primo quod JESUS
CHRISTUS in anima pura habitat; tum quod idem animæ
impure in purificatione sui opem ferat. In quibus videmus
quatuor, primo Jesum Christum, aut verbum Dei, habitans
in corde per amorem suum, in anima & intelligentia per il-
luminationem, gubernationem & gaudia sua, quibus eam pa-
scit: Deinde animam puram omnibus virtutibus ornatam,
& Spiritum Christi posidentem: Tertio Jesum Christum
animæ impure opem ferentem, ut a peccati vitiisque suis ea
purificetur: Denique eandem animam impuram a peccatis
suis sese purificantem.*

Disquisitio hujus memtri.

1. Scopus Auctoris nostri est, ex instituto agere
de universal re typica, præcipue ea quæ in Sacrificiis
posita fuit. Id præstiturus rem totam refert ad qua-
tuor

tuor summa capita, & hæc porro ad duas veritates, quarum una est de *inhabitatione Christi*, altera de effectu hujus inhabitationis, in ope, quam Christus inhabitan^t animæ hospiti ferat, posito. Sic videmus, omnia reduci ad beneficium *renovations, expiationis & justificationis* ne quidem mentione facta, immo & hac & ista plane exclusa & pernegata; uti in progressu hujus discussionis pluribus videbimus.

2. Jam vero liquidissimum est ex ea demonstrationis serie, quam habet Sectio prior, scopum satisfactionis totius rei sacrificialis nervum fuisse præcipuum. Unde colligi potest, quanto in errore versetur Poiretus, qui in hoc sacrificiorum nucleo tam existenti deprehendendo ne cœcutit quidem, sed omni prorsus lumine destitutus est.

3. Nec ipsam purificationem illam, quam Auctor figuris Leviticis repræsentatam fuisse contendit, ipsius sensu genuinam esse, quis non videt? Præterit enim fontem ejus evangelicum, hypothesisibus suis adhære-sens.

Loci Poiretiani Membrum II.

Horum primum, *Iesu Christus inquam, qua Deus cor-dis, qua Verbum divinum, Deus incomprehensibilis, Spiritus internus in corde operans, Leges suas ei inscribens, idemque gubernans, nutriendis, illuminans*; figurabatur per obscuritatem Sancti Sanctorum, per tabulas authenticas Legis, per Virgam Mosis, per urnam manne, per lumen candelabri, & per pagen expositionis. Hæc omnia solum Christum significabant.

Alterum, videlicet animam puram in qua Deus habitat, indigitabat Sanctorum; & ejus quidem Arca notabat

SECTIO II. DE ERRORE

cor; supellex & utensilia sacra, omnes facultates virtutesque animæ sanctæ; altare aureum, libertatem seu propositum voluntarium ac liberum Deo omnia offerendi; cornua altaris, ejusdem propositi firmitatem; suffitus, desideria regla & pura, pariterque in reliquis. Hæc omnia directo & primitus signifiabant animam hominis puram, in qua Deus vult habitare. At quoniam anime omnes hominum omnium per peccatum Adami impure factæ erant, excepta sola anima CHRISTI, Adami secundi, ad cuius imaginem omnes renovari debebant, manifesto patet, realitatem eorum, que ad secundam hanc classem pertinent, in solo CHRISO superfluisse; adeoque figuræ hæc, Christi veluti apographum referentes, hominum oculū exppositæ erant, ut eosdem docerent, quod quemadmodum omnes ad statum Christi redire debent, ita & istæ figuræ statum illum Christi delineantes, erant & propriæ animarum suarum figuræ.

Disquisitio hujus membra.

1. *Cor hominæ*, in quantum per renovationem Dei sit habitaculum, in figuris Leviticis varie fuisse depictum, nemo negat: at hunc adumbrationis scopum fuisse unicum, excluso expiationis beneficio, hoc est, quod omni jure negamus, postquam contrarium satis superque demonstratum est. Et ex illa demonstratione constat, scopum istum expiationis, proxime & primario intentum, alterum istum de renovatione sibi æctissimo nexus subordinatum habuisse.

2. *Sanctum sanctorum* fuit figura sedis gloriæ, a conspectu nostro remotæ, quemadmodum inter alia liquet ex epist. ad Hebr. c. IX. & X. Quare obscuritas hujus loci respectu nostri notavit ejus sublimitatem, supra omnem captum nostrum positam. Hanc autem respc-

PETRI POIRETI.

29

respectu Dei lucidissimam esse, columnæ nubis & i-
gnis, quæ adytum glorioſo lumine replevit, præsen-
tia indicatum est.

2. *Cordis* nostri *obscuritas* & *sordities naturalis*, at in
ordine regenerationis respectu solidi initii jam *expur-
gata*, adumbrata fuit per primam tabernaculi & tem-
pli partem, seu per *Sanctum*. In hoc enim per se ob-
scuro dies noctesque lucebat lychnuchus aureus septu-
plex. Neque hic solus erat, sed ad latus suum habe-
bat altare suffitius & mensam panum propositionis.
Quorum trium vasorum sacrorum positus ipse erat
μυστηρίον. In medio enim collacatum erat *altare suffi-
tius*, expiationis, unde existit *justificatio*, symbolum
luculentum. Et istud ad *dextram* habebat *candelabrum*
aureum, ad *sinistram* *mensam panum propositionis*. Quo po-
ſito significatum est, in unione & communione fide-
lium cum Deo mystica, beneficium *expiationis* ac
justificationis sibi vindicare *centrum* quasi & *locum pri-
marium*, istud vero cum beneficio illuminationis &
corroborationis, in animæ expiatæ & *justificatæ lucem*
& *alimentum*, esse conjunctissimum.

4. Per *tabulas authenticas legis*, quod quidem ad i-
ſtarum *collocationem* in arca fœderis attinet, significa-
tum est, a Christo legem nostri loco meritorie &
perfeciſſime impletum iri, ita ut ejus obedientia legi
præſta cederet in compensationem inobedientiæ A-
dami & totius humani generis, nec non in ejusmodi
δικαιωμα, per quod, qui per Adami inobedientiam
peccatores constituti sunt, justi constituantur Rom.
V, 12. seqq. Arca enim fœderis fuit typus Christi.
Unde quemadmodum arca fœderis *tabulas legis ha-*

D 3 buit

SECTIO II. DE ERRORE

buit in medio sui, ita ut eas contineret ac obtegeret; ita Christus, secundum oraculum Davidis & Pauli, in mundum veniens & opus redēptionis respectu anti-typico perfecturus, legem Dei habuit in vīsceribus suis ad voluntatem Patris sui perficiendam paratisimus Psalm. XL, 7. seqq. Hebr. X, 5 seqq.

5. Virga Aaronis arida & vīrescens ac simul πολύ-
χαρπ@ egregium fuit simulacrum resurrectionis Christi gloriose, per quam sacerdotium ejus monadicum lūculentissime cōprobatum effloruit. Urna vero Mannæ eundem fere cum niensa panum sacrorum scō-pum habuit.

6. Altare Sanctuarii, in Sancto positum, erat quidem aureum, non vero ἀλόχεντον, seu ex mero auro, sed confectum ē ligno, quod Moses a loco suo vocat Schittim, & quod erat ἀσηπτὸν ac præstantissimum. Hoc lignum, in altaris formam compositum, undique obductum erat λαμινὶ auriis, ut nihil nisi aurum in eo conspiceretur. Exod. XXX. Atque ita hoc altare per se representavit personam Christi ratione utriusque naturæ, divinæ ac humanae; quemadmodum usus altaris inadolendo thymiamate officium & beneficium ejus ιλασικὸν adumbravit.

7. Si cornua hujus altaris firmitatem notant, notant firmitatem personæ & officij Christi hilastici. Expiationis vero caussa positum fuisse hoc altare, inter alia ex eo manifestum est, quod ejusdem cornibus sanguis victimarum ιλασικὸς (in sanguine enim expiationem fuisse, vide Lev. XVII, 10, ii.) fuit adspersus Exod. XXX, 10, Lev. XVI, 18. Conf. c. IV, 3, 7, 13, 18.

8. Suffitum primario fuisse ιλασικὸν, jam e dictis liquet.

PETRI POIRETI.

31

liquet. Et hoc respectu Christi intercessionem denotavit. Hanc enim fuisse *ιλασμήν*, Dissert. VII. Propos. XVI. evincitur. Sensus vero iste, quem Poiretus, in desideriorum nostrorum qualitate & usu possum, pro unico habet, tantum secundarium & consecutivum esse, res ipsa indicat. De quibus omnibus ac singulis ex instituto egi in *Mysterio Christi ac Christianismi*, speciatim P. I. c. III. p. 35. seqq.

9. Ex his observationibus liquet, falsum esse Poireti assertum, his factum verbis: *Hæc omnia directo & primitus significabant animam hominis puram, in qua Deus vult habitare.*

10. Si anima Christi Adamicae labis fuit exparsa, ecce Auctor eidem alibi (uti in peculiari Dissertatione videbimus) tribuit peccatum inhærens?

11. Auctor realitatem quidem figurarum secundæ classis propter humani generis labem primario refert ad Christum, sed non nisi eo sensu, qui negata & exclusa expiatione & justificatione solam renovationem intendit.

Loci Poiretiani Membrum III.

Tertium, *Iesus Christus cum anima impura concurrens, ut eam purificet, figurabatur per Summum Pontificem pariterque per Sacerdotes inferiores, quatenus ille functionibus omnibus naturaliter non sufficiens, per hos agere, victimas mandare, offerre & concremare censebatur, qui & sanguinem eorum in sanctuarium inferebat, orabat, purificationem applicabat, faciebat propitiationem, & reliqua. Hæc omnia significabant JESUM CHRISTUM, quatenus ille per vim divinam Spiritus sui [quam per impulsus luminis motuumque suorum*

ſuorum in animam effundebat,] partem mactat bestialem, virtusque & affectus, opera carnalia ac peccaminosa gladio aut cultro divini sui verbi in ipsam animam penetrantis carnemque in ea a spiritu separantis: quo facto ista omnia igne amoris sui cremat consumitque & hanc mortificationem in intima usque animae infert, pro qua intercedens Deum ei reddit propitiū,

Disquisitio hujus membra.

1. Christum repræsentatum fuisse per summum pontificem & sacerdotes inferiores, verum est: at falsum, hanç ipsam representationem & functionem non habuisse expiationem pro scopo suo primario. Contrarium probatum est supra Sect. I. speciatim Propositione III.

2. Quandoquidem Moses in Levitico & alibi identidem expiationis mentionem facit, eamque sacerdotibus tribuit, Auctor noster eam quidem ipse non plane dissimulat, sed solo tantum verbo attingit. Quod enim per rō propitiationem facere nihil nisi praxi renovationis intelligat, ipse satis aperte declarat, quando: *Hec omnia, inquit, significabant Jesum Christum, quatenus ille partem mactat bestialem &c.*

3. Ex eadem falsa sua hypothesi Auctor nullam aliam gratiam, aut gratiae effectum, a Christo in animam hominis derivat, quam qui in sola sanctificazione positus est, quod Christus vim divinam Spiritus sui & per eam lumen motusque suos in animam effundat.

4. *Ignis sacrificialis* victimas consumens erat simulacrum justitiae Dei vindicis, gratia temperatæ. Igne enim

enim consumebantur victimæ, sed cum singulari
 ἑυδοκίᾳ, quæ in offerentes se diffundebat. Vide *Myſt. Christi*
 & *Christianismi* p. 30. seqq. Poiretus vero negotium i-
 gnis ad solam gratiam lancificantem refert.
 Idem uti antea propitiationis, sic ultimis alle-
 gati loci verbis etiam intercessionis facit mentionem;
 sed ipsum non intelligere intercessionem ιλαστικήν, de-
 incepit verbis ipsius videbinus. Idem jam liquet
 ex eo, quod negat, actum sacrificandi, quo nitebatur
 intercessio, piacularē fuisse.

Loci Poiretiani Membrum IV.

Denique quartum & ultimum significabatur per victi-
 mas sacrificia offerentium, qui [in præcipuis sacrificiis] be-
 stiam a toto grege separatan & ad Tabernaculum e regione
 altaris magni adductam offerebant, ubi illa jugulabatur, dis-
 secabatur, cremabatur, ac ejus sanguis in Sanctuarium in-
 ferebatur; & tum homo purus declarabatur. His doceba-
 tur, peccatoris esse a mundo se totum separare, affectus suos
 illic diutius neque nutritre neque conservare; eos omnes nul-
 lis exceptis ad altare, ad propositum liberum firmumque eos-
 dem occidendi, adducere: quo facto vis Christi Iesu in ani-
 mam seſe effundens, peccatum atque inclinationes terrenas
 carnalesque vere ibidem occidit, affectus ejus & facultates
 naturales amoris sui igne purificat, hanc mortificationem in
 intima infert, orat, gratiam obtinet, tandemque hominem
 iustum ac omnino purum pronuntiat.

Disquisitio hujus membra.

I. *Victimarum omnium, speciatim holocaustorum*
 & *sacrificiorum pro peccato & reatu, scopum & ner-*

E

vum

SECTIO II. DE ERRORE

vum primarium fuisse in *expiatione typica*, supra Sect. I. præcipue Propos. I. seqq. evictum est. Gravis ergo & manifestissimus ac duplex error est Poireti, primum in eo, quod non Christum, sed Christianos ponat antitypi loco; deinde quod totum actum sacrificalem cum omnibus suis ritibus ad sanctificationem referat, expiatione cum justificatione penitus exclusa.

2. Neque id evangelicæ doctrinæ hypotyposi consentaneum est, quod in restituendæ salutis negotio operationem ipsius hominis convertendi operatiōni Dei præponit. Primum enim a peccatore requirit, ut se totum a mundo separet affectusque suos ad altare h.e. ad propositum liberum firmumque eodem occidendi adducat: & hoc facto ipsi demum promittit vim Iesu Christi in animam se diffundentem & peccatum ibidem vere occidentem &c. Mallem quidem antecedens referre ad gratiam Dei prævenientem & præparantem, & dicere, hanc ab ipso non negari, sed supponi: sed obstat benignæ huic interpretationi erronea Auctoris hypothesis de lumine & virtute naturali; quæ is jam per se pro principiis gratiæ venditat, honestioris vitæ paganis inde salutem adscribens. Vide *Oeconom.* p.749. seqq. 761. seqq.

3. Et quando *altare holocaustorum*, quod Christum ejusque crucem præcipue adumbravit (vide i. Pet. II, 24. Hebr.XIII,10. seqq.) deproposito hominis interpretatur, quid hoc est aliud, quam τὸ οὐρανοῦ δελέγειν?

4. Ultimis allegati loci verbis prodit Auctor, se per intercessionem Christi non intelligere actum ἵλασμον coram Dei iudicio, sed operationem in homine. Atque ita etiam facile colligitur, ipsum in phrasibus purum

purum declarari, iustum pronuntiari nihil habere minus quam sensum forensem, proprie sic dictum.

Loci Poiretiani Membrum V.

*Et hæc quidem est generalior quedam adumbratio
tum ceremoniarum, tum significacionis earundem. Nos ad
particularem earum tractationem non descendimus, unde' ne-
mo mirabitur, multa que eo pertinent a nobis non tangi. Sic
intacta relinquitus sacrificia profferitatis, holocausta, &
oblationes voluntariæ; quoniam, ut verum dicamus, illo-
rum institutio antiquior est Lege Mosaica, a qua solam for-
man acceperunt. At de sacrificiis propitiatoriis, de quibus
nos agimus, aliud dicendum, in quibus victimæ perpetuo si-
gnificat hominem peccatorem, quatenus ille malum peccatum
que in se occidere tenetur, quo Deus nullos amplius motus
suis motibus divinis contrarios in eo inveniens, veniat in a-
nimam ejus, veluti in Sanctuarium suum, ibidem constanter
habitaturus. Et hæc quidem realitas eo ipso tempore in o-
mnibus, qui recte preparati erant, implebatur.*

Disquisitio hujus membra.

1. De tractatione figurarum typicarum generali, qua-
lem Poirerius habet, non immerito usurpamus illum Lo-
gicæ canonem: *Quidquid negatur de genere, negatur etiam
de specie. Specialem enim tractationem ab ipso generali
illa meliorem haud exspectari potuisse, quis non videt?
Qualia enim sunt principia, quales præmissæ, talis est
conclusio.*

2. Sine ullo fundamento Auctor sacrificia, quorum
institutio antiquior est Mosaica, ab hac tractatione sejungit.
Nec tamen ipse credit, antiquiora ista sacrificia pro


36 SECTIO II. DE ERRORE PETRI FOIRETI.
pro nucleo suo habuisse Christi *ινσάρκωσιν* & piacula-
rem redemtionem, & hoc ipsum mysterium sub Mo-
se peculiarem typorum oeconomiam accepisse.

3. Non exigua vero ἀγνώστα est, sacrificia prospexitati-
tis, holocausta & oblationes voluntarias, quæ omnia & singu-
la virutem expiandi typicam habuerunt, non solum
a sacrificiis propitiatorioris distingvere, sed hæc etiam i-
stis haud obscure opponere, cum eadem plane sint.

4. Major, certe periculosior, adhuc error est, di-
cere, quod in sacrificiis propitiatorioris (qualia erant o-
mnia & singula sacrificia, et si nonnulla *καὶ ξοχὴν*)
victima perpetuo hominem significaverit peccatorem, quatenus
ille malum in se occidere teneatur. Quod si hoc dice-
retur sensu subordinato, salva res esset. At in ex-
clusivo, excluso respectu primario, ad Christi satisfa-
ctionem habitu, grandis error est.

5. Falsum quoque est, Deum tum demum in ani-
mam, tanquam in Sanctuarium suum, venire, quando
nulos amplius motus suis motibus divinis contrarios in ea in-
veniat. Falsum est, hanc realitatem unquam in of-
ferentibus impletam fuisse, aut inter ipsos unquam ex-
stitisse quenquam, qui ad eam fuerit præparatus.

Not. Reliquorum locorum Poiretianorum dis-
cussionem differo ad peculiarem Dissertationem, ni-
mirum proxime sequentem & numero sextam: ubi si-
mul præcipuae Socinianorum objections di-
lumentur, corruptelis eorum denudatis &
disjectis.



73 5225

ULB Halle
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

31
Q V I N T A
DE
**EXPIATIONE PEC-
CATORUM TYPICA**
SEU
**IRTUTE SACRIFICIO-
RUM PIACULARI,**
XVIII. PROPOSITIONIBUS DEMONSTRATA
ET DECLARATA;
SUBJUNCTA ET REFUTATA ANTITHESI:

QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
die Septembrii hujus M DCC XIX. anni
PRAESIDE
OACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. D. ET PROF. ORDIN.

Publicæ disquisitioni submittit
RESPONDENS
CHRISTIANUS GODOFREDUS PHILIPPI,
Lignicensis Silesius, SS. Theol. Cult.

HALAE SAXONUM,
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.